

PRAEFATIO S. HIERONYMI IN PENTATEUCHUM, AD DESIDERIUM.

Desiderii mei desideratas accepi epistolas, qui quodam praesagio futurorum, cum Daniele sortitus est nomen, obsecrantis (**Dan. IX, 23**), ut translatum in Latinam linguam de Hebraeo sermone Pentateuchum, nostrorum auribus traderem. Periculosum opus certe, et obtrectatorum meorum latratibus patens, qui me asserunt in Septuaginta Interpretum suggillationem nova pro veteribus cudere: ita ingenium quasi vinum probantes; cum ego saepissime testatus sim, me pro virili portione in tabernaculo Dei offerre quae possim, nec opes alterius, aliorum paupertate foedari. Quod ut auderem, Origenis me studium provocavit, qui editioni antiquae translationem Theodotionis miscuit, asterisco +, et obelo ÷, id est, stella et veru opus omne distinguens: dum aut illucescere facit quae minus ante fuerant, aut superflua quaeque jugulat, et confodit; maximeque quae evangelistarum et apostolorum auctoritas promulgavit: in quibus multa de veteri Testamento legimus, quae in nostris codicibus non habentur; ut est illud. *Ex Aegypto vocavi filium meum* (**Matth. II, 15**); et: *Quoniam Nazaraeus vocabitur* (**Ibid., 23**); et: *Videbunt in quem compunxerunt* (**Joan XIX, 37**); et: *Flumina de ventre ejus fluent aquae vivae* (**Joan. VII, 38**); et: *Quae nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quae praeparavit Deus diligentibus se* (**I Cor. II, 9**); et multa alia quae proprium σύνταγμα desiderant. Interrogemus ergo eos, ubi haec scripta sint: et cum dicere non potuerint, de libris Hebraicis proferamus. Primum testimonium est in Osee (**Osee XI, 1**), secundum in Isaia (**Isai. XI, 1**), tertium in

Zaccharia (**Zacch. XII, 10**), quartum in Proverbiis (**Prov. XVIII, 4**), quintum aequè in Isaia (**Isai. LXIV, 4**). Quod multi ignorantes, apocryphorum deliramenta sectantur; et Iberas naenias libris authenticis praeferunt. Causas erroris non est meum exponere. Judaei prudenti factum dicunt esse consilio, ne Ptolemaeus unius Dei cultor, etiam apud Hebraeos duplicem divinitatem deprehenderet. Quod maxime idcirco faciebant, quia in Platonis dogma cadere videbatur. Denique ubicumque sacratum aliquid Scriptura testatur de Patre et Filio et Spiritu sancto, aut aliter interpretati sunt, aut omnino tacuerunt; ut et regi satisfacerent et arcanum fidei non vulgarent. Et nescio quis primus auctor septuaginta cellulas Alexandriae mendacio suo extruxerit, quibus divisi eadem scriptitarent, cum Aristeas [*Al. Aristaeus*] ejusdem Ptolemaei ὑπερασπιστῆς, et multo post tempore Josephus, nihil tale retulerint: sed in una basilica congregatos, contulisse scribant, non prophetasse. Aliud est enim vatem, aliud esse interpretem. Ibi Spiritus ventura praedicat: hic eruditio et verborum copia, ea quae intelligit, transfert. Nisi forte putandus est Tullius Oeconomicum Xenophontis, et Platonis Protagoram, et Demosthenis pro Ctesiphonte, afflatus rhetorico spiritu transtulisse. Aut aliter de eisdem libris per Septuaginta Interpretes, aliter per apostolos Spiritus sanctus testimonia texuit, ut quod illi tacuerunt, hi scriptum esse mentiti sint. Quid igitur? damnamus veteres? minime: sed post priorum studia, in domo Domini quod possumus, laboramus. Illi interpretati sunt ante adventum Christi, et quod nesciebant, dubiis protulere sentiis. Nos post passionem et resurrectionem ejus, non tam prophetiam, quam historiam scribimus. Aliter enim audita, aliter visa narrantur. Quod melius intelligimus, melius

et proferimus. Audi igitur, aemule; obtrectator, ausculta: non damno, non reprehendo Septuaginta, sed confidenter cunctis illis apostolos praefero. Per istorum os mihi Christus sonat, quos ante prophetas inter spiritalia charismata positos lego: in quibus ultimum pene gradum interpretes tenent (**I Cor. XII, 28; Ephes. IV, 11**). Quid livore torqueris? quid imperitorum animos contra me concitas? Sicubi in translatione tibi videor errare, interroga Hebraeos, diversarum urbium magistros consule. Quod illi habent de Christo, tui codices non habent. Aliud est, si contra se postea ab apostolis usurpata testimonia, probaverunt, et emendatiora sunt exemplaria Latina quam Graeca, Graeca quam Hebraea. Verum haec contra invidos. Nunc te precor, Desideri charissime, ut quia tantum opus me subire fecisti, et a Genesi exordium capere, orationibus juves: quo possim eodem spiritu quo scripti sunt libri, in latinum eos transferre sermonem.

PRAEFATIO HIERONYMI IN LIBRUM JOSUE BEN NUN .

Tandem finito Pentateucho Mosi, velut grandi fenore liberati, ad Jesum filium Nave manum mittimus, quem Hebraei JOSUE BEN NUN , id est, Josue filium Nun, vocant, et ad Judicum librum, quem SOPHTIM appellant, ad RUTH quoque et ESTHER , quos iisdem nominibus efferunt. Monemusque lectorem, ut silvam Hebraicorum nominum, et distinctiones per membra divisas diligens scriptor conservet, ne et noster labor et illius studium pereat. Et ut in primis, quod saepe testatus sum, sciat me non in reprehensionem veterum nova cudere, sicut amici mei

criminantur; sed pro virili parte offerre linguae meae hominibus (quos tamen nostra delectant), ut pro Graecorum ἑξαπλοῖς, quae et sumptu et labore maximo indigent, editionem nostram habeant. Et sicubi in antiquorum voluminum lectione dubitarint, haec illis conferentes, inveniant quod requirunt: maxime cum apud Latinos tot sint exemplaria, quot codices; et unusquisque pro arbitrio suo vel addiderit, vel subtraxerit quod ei visum est: et utique non possit verum esse quod dissonat. Unde cesset arcuato vulnere contra nos insurgere scorpius, et sanctum opus venenata carpere lingua desistat, vel suscipiens, si placet, vel contemnens, si displicet: memineritque illorum versuum (**Ps. XXXIX,**

19

seq.):

*Os tuum abundavit nequitia,
et lingua tua concinnabat dolos.
Sedens adversus fratrem tuum loquebaris,
et adversus filium matris tuae ponebas scandalum:
haec fecisti et tacui.
Existimasti, inique, quod ero tui similis:
arguam te, et statuam contra faciem tuam.*

Quae enim audientis vel legentis utilitas est, nos laborando sudare, et alios detrahendo laborare? dolere Judaeos quod calumniandi eis et irridendi Christianos sit ablata occasio, et Ecclesiae homines id despicere, immo lacerare, unde adversarii torqueantur? Quod si vetus eis tantum interpretatio placet, quae et mihi non displicet, et nihil extra recipiendum putant: cur ea quae sub asteriscis et obelis, vel addita sunt, vel amputata, legunt, et negligunt? Quare Daniele m juxta Theodotionis translationem, Ecclesiae susceperunt? Cur Origenem mirantur, et Eusebium Pamphili, cunctas editiones similiter disserentes? Aut quae fuit stultitia, postquam vera

dixerint, proferre quae falsa sunt? Unde autem in novo Testamento probare poterunt assumpta testimonia, quae in libris veteribus non habentur? Haec dicimus, ne omnino calumniantibus tacere videamur. Caeterum post sanctae Paulae dormitionem, cuius vita virtutis exemplum est, et hos libros, quos Eustochio virgini Christi negare non potui, decrevimus, dum spiritus hos regit artus, Prophetarum explanationi incumbere, et omissum jamdiu opus, quodam postliminio repetere: praesertim cum et admirabilis sanctusque vir Pammachius hoc idem litteris flagitet, et nos ad patriam festinantes, mortiferos Sirenarum cantus surda debeamus aure transire.

PRAEFATIO HIERONYMI IN LIBROS SAMUEL ET MALACHIM.

Viginti et duas litteras esse apud Hebraeos, Syrorum quoque et Chaldaeorum lingua testatur, quae Hebraeae magna ex parte confinis est: nam et ipsi viginti duo elementa habent eodem sono, sed diversis characteribus. Samaritani etiam Pentateuchum Mosi totidem litteris scriptitant, figuris tantum et apicibus discrepantes. Certumque est Esdram scribam, legisque doctorem, post captam Jerosolymam, et instaurationem templi sub Zorobabel, alias litteras reperisse, quibus nunc utimur: cum ad illud usque tempus iidem Samaritanorum et Hebraeorum characteres fuerint. In libro quoque Numerorum (**Cap. III, 39**) haec eadem supputatio, sub Levitarum ac sacerdotum censu, mystice ostenditur. Et nomen Domini tetragrammaton in quibusdam Graecis voluminibus, usque hodie antiquis expressum litteris

invenimus. Sed et psalmi tricesimus sextus, et centesimus decimus, et centesimus undecimus, et centesimus octavus decimus, et centesimus quadragesimus quartus, quamquam diverso scribantur metro, tamen ejusdem numeri texuntur alphabeto. Et Jeremiae Lamentationes, et Oratio ejus: Salomonis quoque in fine Proverbia, ab eo loco in quo ait, *Mulierem fortem quis inveniet (Cap. ultimo, v. 10, ad finem usque)* iisdem alphabetis vel incisionibus supputantur. Porro quinque litterae duplices apud Hebraeos sunt, CAPH, MEM, NUN, PHE, SADE: aliter enim per has scribunt principia medietatesque verborum, aliter fines. Unde et quinque a plerisque libri duplices aestimantur: Samuel, Malachim, Dabre-Jamim, Ezras, Jeremias cum Cinoth, id est Lamentationibus suis. Quomodo igitur viginti duo elementa sunt, per quae scribimus Hebraice omne quod loquimur, et eorum initiis vox humana comprehenditur: ita viginti duo volumina supputantur, quibus quasi litteris et exordiis, in Dei doctrina, tenera adhuc et lactens viri justi eruditur infantia.

Primus apud eos liber vocatur BRESITH () quem nos Genesim dicimus. Secundus ELLE SMOTH (), qui Exodus appellatur. Tertius VAJECRA (), id est, Leviticus. Quartus VAJEDABBER (), quem Numeros vocamus. Quintus, ELLEADDABARIM (), qui Deuteronomium praenotatur. Hi sunt, quinque libri Mosi, quos proprie THORATH (), id est, legem appellant.

Secundum Prophetarum ordinem faciunt; et incipiunt ab Jesu filio Nave, qui apud eos JOSUE BEN NUN () dicitur. Deinde subtexunt SOPHTIM (), id est, Judicum librum; et in eundem compingunt RUTH (), quia in diebus judicum facta narratur historia. Tertius sequitur SAMUEL (), quem nos

Regnorum primum et secundum dicimus. Quartus MALACHIM (), id est, Regum, qui tertio et quarto Regnorum volumine continetur. Meliusque multo est, MALACHIM, id est, Regum, quam MALACHOTH (), id est, Regnorum dicere. Non enim multarum gentium regna describit; sed unius Israelitici populi, qui tribubus duodecim continetur. Quintus ISAIAS (). Sextus JEREMIAS (). Septimus JEZECIEL (). Octavus liber duodecim Prophetarum, qui apud illos vocatur THARE ASRA ().

Tertius ordo Ἀγίόγραφα possidet; et primus liber incipit ab JOB (). Secundus a DAVID (), quem quinque incisionibus, et uno Psalmorum volumine comprehendunt. Tertius est SALAMON (tres libros habens: Proverbia, quae illi Parabolas, id est, MASALOTH () appellant: Ecclesiasten, id est, COELETH (): Canticum canticorum, quem titulo SIR ASSIRIM () praenotant. Sextus est DANIEL (). Septimus DABRE AJAMIM (), id est, verba dierum, quod significantius Χρονικὸν totius divinae historiae possumus appellare. Qui liber apud nos Παραλειπομένων, primus et secundus inscribitur. Octavus EZRAS () [*Al.* Elesdras], qui et ipse similiter apud Graecos et Latinos in duos libros divisus est. Nonus ESTHER ().

Atque ita fiunt pariter veteris legis libri viginti duo; id est, Mosi quinque: Prophetarum octo: Hagiographorum novem. Quamquam nonnulli RUTH () et CINOTH () inter Ἀγίόγραφα scriptitent, et libros hos in suo putent numero supputandos: ac per hoc esse priscae legis libros viginti quatuor: quos sub numero viginti quatuor seniorum Apocalypsis Joannis inducit adorantes Agnum, et coronas suas prostratis vultibus offerentes: stantibus coram quatuor

animalibus oculatis et retro et ante, id est, et in praeteritum et in futurum respicientibus, et indefessa voce clamantibus, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat, et qui est, et qui venturus est (**Apoc. IV, 8**).

Hic prologus Scripturarum, quasi galeatum principium omnibus libris, quos de Hebraeo vertimus in Latinum, convenire potest: ut scire valeamus quidquid extra hos est, inter ἀπόκρυφα esse ponendum. Igitur Sapientia, quae vulgo Salomonis inscribitur, et Jesu filii Syrach liber, et Judith, et Tobias, et Pastor, non sunt in Canone. Machabaeorum primum librum, Hebraicum reperi. Secundus, Graecus est: quod ex ipsa quoque φράσει probari potest. Quae cum ita se habeant, obsecro te, lector, ne laborem meum, reprehensionem aestimes antiquorum. In tabernaculum Dei offert unusquisque quod potest: alii aurum et argentum et lapides pretiosos: alii byssum et purpuram et coccum offerunt et hyacinthum (**Exod. XXV**): nobiscum bene agetur, si obtulerimus pelles et caprarum pilos. Et tamen Apostolus contemptibilia nostra magis necessaria judicat (**I Cor. XII, 21**). Unde et tota illa tabernaculi pulchritudo, et per singulas species, Ecclesiae praesentis futuraeque distinctio, pellibus tegitur et ciliciis, ardoremque solis et injuriam imbrium ea quae viliora sunt prohibent. Lege ergo primum, Samuel, et Malachim meum: meum, inquam, meum. Quidquid enim crebrius vertendo, et emendando sollicitius et didicimus et tenemus, nostrum est. Et cum intellexeris quod antea nesciebas, vel interpretem me aestimato, si gratus es, vel παραφραστήν, si ingratus. Quamquam [*Ms. quod*] mihi omnino conscius non sim [*Ms. sum*], mutasse me quidpiam de Hebraica veritate. Certe si incredulus es, lege Graecos

codices et Latinos et confer cum bis opusculis : et ubicumque inter se videris discrepare, interroga quemlibet Hebraeorum, cum magis accommodare debeas fidem: et si nostra firmaverit, puto quod eum non aestimes conjectorem, ut in eodem loco mecum similiter divinarit. Sed et vos, famulas Christi (Paulam et Eustochium), rogo, quae Domini discumbentis pretiosissimo fidei myro ungitis caput, quae nequaquam Salvatorem quaeritis in sepulcro, quibus jam ad Patrem Christus ascendit, ut contra latrantes canes, qui adversus me rabido ore desaeviunt, et circumeunt civitatem, atque in eo se doctos arbitrantur, si aliis detrahant, orationum vestrarum clypeos, opponatis. Ego sciens humilitatem meam, illius semper sententiae recordabor: *Dixi, custodiam vias meas; ut non delinquam in lingua mea. Posui ori meo custodiam, cum [Vulg. dum] consisteret peccator adversum me. Obmutui, et humiliatus sum, et silui a bonis (Ps. XXXVIII, 1 seq.).*

PRAEFATIO HIERONYMI IN LIBRUM ISAIAE.

Nemo cum Prophetas versibus viderit esse descriptos metro eos aestimet apud Hebraeos ligari, et aliquid simile habere de Psalmis, vel operibus Salomonis; sed quod in Demosthene et Tullio solet fieri, ut per cola scribantur et commata, qui utique prosa, et non versibus conscripserunt: nos quoque

utilitati legentium providentes, interpretationem novam, novo scribendi genere distinximus. Ac primum de Isaia sciendum, quod in sermone suo disertus sit: quippe ut vir nobilis et urbanae eloquentiae, nec habens quidpiam in eloquio rusticitatis admistum. Unde accidit, ut prae caeteris, florem sermonis ejus translatio non potuerit conservare. Deinde etiam hoc adjiciendum, quod non tam propheta, quam evangelista dicendus sit. Ita enim universa Christi Ecclesiaeque mysteria [*Al.* ministeria] ad liquidum prosecutus est, ut non eum putes de futuro vaticinari, sed de praeteritis historiam texere. Unde conjicio, noluisse tunc temporis, Septuaginta Interpretes fidei suae sacramenta perspicue ethnicis prodere, ne sanctum canibus, et margaritas porcis darent: quae [*Al.* qui] cum hanc ditionem legeritis, ab illis animadvertetis abscondita. Nec ignoro quanti laboris sit Prophetas intelligere, nec facile quempiam posse judicare de interpretatione, nisi intellexerit ante quae legerit: nos quoque patere morsibus plurimorum, qui stimulante invidia, quod consequi non valent, despiciunt. Sciens ergo et prudens in flammam mitto manum: et nihilominus hoc a fastidiosis lectoribus precor, ut quomodo Graeci post Septuaginta Translatores, Aquilam et Symmachum et Theodotionem legunt, vel ob studium doctrinae suae, vel ut Septuaginta magis ex collatione eorum intelligant: sic et isti saltem unum post priores habere dignentur interpretem. Legant prius, et postea despiciant: ne videantur, non ex judicio, sed ex odii praesumptione ignorata damnare. Prophetavit autem Isaias in Jerusalem, et in Judaea, necdum decem tribubus in captivitatem ductis: ac de utroque regno, nunc commistim, nunc separatim, textit oraculum. Et cum interdum ad praesentem respiciat historiam; et post Babyloniam

captivitatem reditum populi significet in Judaeam: tamen omnis ei cura de vocatione gentium, et adventu Christi est. Quem quanto plus amatis, o Paula et Eustochium, tanto magis ab eo petite, ut pro obtrectatione praesenti, qua me indesinenter aemuli laniant, ipse mihi mercedem restituat in futuro: qui scit me ob hoc in peregrinae linguae eruditione sudasse, ne Judaei de falsitate Scripturarum Ecclesiis ejus diutius insultarent .

PRAEFATIO HIERONYMI IN EZECHIELEM.

Ezechiel propheta cum Joachin rege Juda captivus ductus est in Babylonem: ibique iis qui cum eo capti [*Al.* captivi] fuerant, prophetavit, poenitentibus quod ad Jeremiae vaticinium se ultro adversariis tradidissent, et viderent adhuc urbem Jerosolymam stare, quam ille casuram esse praedixerat. Trigesimo autem aetatis suae anno, et captivitatis quinto, exorsus est ad concaptivos loqui. Et eodem tempore, licet posterior, hic in Chaldea, Jeremias in Judaea prophetaverunt. Sermo ejus nec satis disertus, nec admodum rusticus est: sed ex utroque medie temperatus. Sacerdos et ipse, sicut et Jeremias: principia voluminis et finem magnis habens obscuritatibus involuta. Sed et Vulgata ejus editio non multum distat ab Hebraico. Unde satis miror quid causae exstiterit, ut si eosdem in universis libris habemus interpretes, in aliis eadem, in aliis diversa transtulerint. Legite igitur et hunc juxta translationem nostram; quia per cola scriptus et commata, manifestiorem legentibus sensum tribuit. Si autem amici mei et hunc subsannaverint, dicite eis quod nemo eos compellat ut scribant. Sed vereor, ne illud eis eveniat quod

Graece significantius dicitur, ut vocentur φαγολοίδοροι, id est, manducantes sannas.

PRAEFATIO S. HIERONYMI IN DUODECIM PROPHETAS.

Non idem ordo est duodecim prophetarum apud Hebraeos, qui et [*Al.* est] apud nos. Unde secundum id quod ibi legitur, hic quoque dispositi sunt. Osee commaticus est, et quasi per sententias loquens. Joel planus in principiis: in fine obscurior. Et usque ad Malachiam, habent singuli proprietates suas: quem Esdram scribam, legisque doctorem Hebraei autumant. Et quia longum est nunc de omnibus dicere: hoc tantum vos, o Paula et Eustochium, admonitas volo, unum librum esse duodecim prophetarum: et Osee σύγχρονον Isaiae: Malachiam vero Aggaei et Zachariae fuisse temporibus. In quibus autem tempus non praefertur in titulo, sub illis eos regibus prophetasse, sub quibus et hi qui ante eos habent titulos, prophetaverunt.

PRAEFATIO S. HIERONYMI IN LIBRUM JOB.

Cogor per singulos Scripturae divinae libros adversariorum respondere maledictis: qui interpretationem meam, reprehensionem Septuaginta Interpretum criminantur: quasi non et apud Graecos Aquila, Symmachus, et Theodotio, vel

verbum e verbo, vel sensum e sensu, vel ex utroque commixtum, et medie temperatum genus translationis expresserint: et omnia veteris Instrumenti volumina Origenes obelis asteriscisque distinxerit, quos vel additos, vel de Theodotione sumptos, translationi antiquae inseruit, probans defuisse quod additum est. Discant igitur obtrectatores mei recipere in toto, quod in partibus susceperunt, aut interpretationem meam cum asteriscis suis radere. Neque enim fieri potest, ut quos plura intermisisse perspexerint, non eosdem etiam in quibusdam errasse fateantur, praecipue in Job: cui si ea quae sub asteriscis addita sunt, subtraxeris, pars maxima voluminis detruncabitur: et hoc dumtaxat apud Graecos. Caeterum apud Latinos, ante eam translationem, quam sub asteriscis et obelis nuper edidimus, septingenti ferme aut octingenti versus desunt; ut decurtatus et laceratus corrosusque liber, foeditatem sui publice legentibus praebeat. Haec autem translatio nullum de veteribus sequitur interpretem; sed ex ipso Hebraico, Arabicoque sermone, et interdum Syro, nunc verba, nunc sensus, nunc simul utrumque resonabit. Obliquus enim etiam apud Hebraeos totus liber fertur et lubricus: et quod Graece rhetores vocant, ἑσχηματισμένος, dumque aliud loquitur, aliud agit: ut si velis anguillam aut muraenulam strictis tenere manibus, quanto fortius presseris, tanto citius elabitur. Memini me ob intelligentiam hujus voluminis, Lyddaeum quemdam praeceptorem, qui apud Hebraeos primus haberi putabatur, non parvis redemisse nummis: cujus doctrina an aliquid profecerim, nescio: hoc unum scio, non potuisse me interpretari, nisi quod ante intellexeram. A principio itaque voluminis, usque ad verba Job, apud Hebraeos prosa oratio est. Porro a verbis Job, in quibus ait,

*Pereat dies, in qua natus sum,
et nox, in qua dictum est, conceptus est homo,
usque ad eum locum, ubi ante finem voluminis scriptum est:
Idcirco ipse me reprehendo,
et ago poenitentiam in favilla et cinere:*

hexametri versus sunt, dactylo spondaeoque currentes: et propter linguae idioma, crebro recipientes et alios pedes, non earumdem syllabarum, sed eorumdem temporum. Interdum quoque rhythmus ipse dulcis et tinnulus fertur numeris lege metri solutis: quod metrici magis, quam simplex lector intelligunt. A supradicto autem versu usque ad fidem libri, parvum comma quod remanet, prosa oratione contexitur. Quod si cui videtur incredulum, metra scilicet esse apud Hebraeos, et in morem nostri Flacci, Graecique Pindari, et Alcaeï, et Sappho, vel Psalterium, vel Lamentationes Jeremiae, vel omnia ferme Scripturarum cantica comprehendî, legat Philonem, Josephum, Origenem, Caesariensem Eusebium, et eorum testimonio me verum dicere comprobabit. Audiant quapropter canes mei, idcirco me in hoc volumine laborasse, non ut interpretationem antiquam reprehenderem, sed ut ea, quae in illa aut obscura sunt, aut omissa, aut certe scriptorum vitio depravata, manifestiora nostra interpretatione fierent: qui et Hebraeum [*Al.* ut qui Hebraeorum] sermonem ex parte didicimus, et in Latino pene ab ipsis incunabulis inter grammaticos et rhetores et philosophos detriti sumus. Quod si apud Graecos, post Septuaginta editionem, jam Christi Evangelio coruscante, Judaeus Aquila, Symmachus, et Theodotio, judaizantes haeretici, sunt recepti, qui multa mysteria Salvatoris subdola interpretatione celarunt, et tamen in Ἑξαπλοῖς, habentur apud Ecclesias, et explanantur ab ecclesiasticis viris: quanto magis

ego Christianus, de parentibus Christianis natus, et vexillum crucis in mea fronte portans, cujus studium fuit omnia repetere, depravata corrigere, et sacramenta Ecclesiae puro ac fidei aperire sermone, vel a fastidiosis, vel a malignis lectoribus non debeo reprobari? Habeant qui volunt veteres libros, vel in membranis purpureis auro argentoque descriptos, vel uncialibus, ut vulgo aiunt, litteris, onera magis exarata, quam codices: dummodo mihi, meisque permittant pauperes habere schedulas, et non tam pulchros codices, quam emendatos. Utraque editio, et Septuaginta juxta Graecos, et mea juxta Hebraeos, in Latinum meo labore translata est. Eligat unusquisque quod vult: et studiosum me magis, quam malevolum probet.

PRAEFATIO S. HIERONYMI IN LIBRUM PSALMORUM JUXTA HEBRAICAM VERITATEM.

Eusebius Hieronymus Sophronio suo, Salutem.

Scio quosdam putare Psalterium in quinque libros esse divisum, ut ubicumque apud Septuaginta Interpretes scriptum est, γένοιτο, γένοιτο, id est, fiat, fiat, finis libri sit, pro quo in Hebraeo legitur: AMEN, AMEN (). Nos autem Hebraeorum auctoritatem secuti, et maxime apostolorum, qui semper in novo Testamento Psalmorum librum nominant, unum volumen asserimus. Psalmos

quoque [Al. Psalmosque] omnes eorum testamur auctorum, qui ponuntur in titulis, David scilicet, Asaph, et Idithun, filiorum Core, Eman Ezrahitae [Al. Israelitae], Moisi et Salomonis, et reliquorum, quo-Ezras uno [Al. uno] volumine comprehendit. Si enim AMEN (), pro quo Aquila transtulit πεπιστωμένως, in fine tantummodo librorum poneretur, et non inter dum, aut in exordio, aut in calce sermonis, sive sententiae, numquam et Salvator in Evangelio loqueretur: Amen, amen dico vobis; et Pauli epistolae in medio illud opere continerent. Moses quoque et Jeremias, et caeteri in hunc modum multos haberent libros, qui in mediis voluminibus suis AMEN () frequenter interserunt. Sed et numerus viginti duorum Hebraicorum librorum, et mysterium ejusdem numeri commutabitur. Nam et titulus ipse Hebraicus, SEPHAR THALLIM (), quod interpretatur, volumen hymnorum, Apostolicae auctoritati congruens, non plures libros, sed unum volumen ostendit. Quia igitur nuper cum Hebraeo disputans, quaedam pro Domino Salvatore de Psalmis testimonia protulisti, volensque ille te illudere, per sermones pene singulos asserebat, non ita haberi in Hebraeo, ut tu de Septuaginta Interpretibus opponebas, studiosissime postulasti, ut post Aquilam et Symmachum et Theodotionem, novam editionem Latino sermone transferrem. Aiebas enim te magis interpretum varietate turbari, et amore [Al. amorem tuum] quo laberis, vel translatione, vel judicio meo esse contentum. Unde impulsus a te, cui et quae possum, debeo, et quae non possum, rursum me obtrectatorum latratibus tradidi, maluique te vires potius meas, quam voluntatem in amicitia quaerere. Certe confidenter dicam, et multos hujus operis testes citabo, me nihil, dumtaxat scientem, de Hebraica

veritate mutasse. Sicubi ergo editio mea a veteribus discreparit, interroga quemlibet Hebraeorum, et liquido pervidebis, me ab aemulis frustra lacerari, qui malunt contemnere videri praeclara, quam discere. Perversissimi homines. Nam cum semper novas expetant voluptates, et gulae eorum vicina maria non sufficient: cur in solo studio Scripturarum, veteri sapore contenti sunt? Nec hoc dico, quo praecessores meos mordeam, aut quidquam de his arbitrer detrahendum, quorum translationem diligentissime emendatam, olim meae linguae hominibus dederim; sed quod aliud sit in Ecclesiis Christo credentium Psalmos legere, aliud Judaeis singula verba calumniantibus respondere. Quod opusculum meum, si in Graecum (ut polliceris) transtuleris, ἀντιφιλονείκων τοῖς κατασύρουσιν, et imperitiae meae doctissimos quoque [Al. quosque] viros testes facere volueris, dicam tibi illud Horatianum: In silvam ne ligna feras. Nisi quod hoc habebo solamen, si in labore communi intelligam, mihi et laudem, et vituperationem tecum esse communem. Valere te in Domino Jesu [Al. tac. Jesu] cupio, et meminisse mei.

PRAEFATIO HIERONYMI IN LIBROS SALOMONIS.

Chromatio et Heliodoro episcopis Hieronymus.

Jungat epistola, quos jungit sacerdotium: immo charta non dividat, quos Christi nectit amor. Commentarios in Osee,

Amos, Zachariam. Malachiam, quos poscitis, scripsissem, si licuisset prae valetudine. Mittitis solatia sumptuum: notarios nostros et librarios sustentatis, ut vobis potissimum nostrum desudet ingenium. Et ecce ex latere frequens turba diversa poscentium: quasi aut aequum sit, me, vobis esurientibus, aliis laborare: aut in ratione dati et accepti, cuiquam, praeter vos, obnoxius sim. Itaque longa aegrotatione fractus, ne penitus hoc anno reticerem, et apud vos mutus essem, tridui opus nomini vestro consecravi, interpretationem videlicet trium Salomonis voluminum, MASLOTH (), quas Hebraei *Parabolas*, Vulgata autem editio *Proverbia* vocat: COELETH (), quem Graece Ecclesiasten, Latine Concionatorem possumus dicere: SIR ASSIRIM (), quod in nostra lingua vertitur Canticum Canticorum. Fertur et πανάρετος Jesu filii Sirach liber, et alius ψευδεπίγραφος qui Sapientia Salomonis inscribitur. Quorum priorem, Hebraicum reperi, non Ecclesiasticum, ut apud Latinos; sed Parabolas praenotatum, cui juncti erant Ecclesiastes et Canticum Canticorum, ut similitudinem Salomonis non solum librorum numero, sed etiam materiarum genere coaequaret. Secundus apud Hebraeos nusquam est, quia et ipse stylus Graecam eloquentiam redolet: et nonnulli scriptorum veterum hunc esse Judaei Philonis affirmant. Sicut ergo Judith, et Tobi, et Machabaeorum libros legit quidem Ecclesia, sed inter canonicas Scripturas non recipit: sic et haec duo volumina legat ad aedificationem plebis, non ad auctoritatem Ecclesiasticorum dogmatum confirmandam. Si cui sane Septuaginta Interpretum magis editio placet, habet eam a nobis olim emendatam. Neque enim sic nova cudimus, ut vetera destruamus. Et tamen cum diligentissime legerit, sciat magis nostra intelligi, quae non in

tertium vas transfusa coacuerint, sed statim de praelo purissimae commendata testae, suum saporem servaverint.

PRAEFATIO HIERONYMI IN DANIELEM PROPHETAM.

Danielem prophetam juxta Septuaginta Interpretes Domini Salvatoris Ecclesiae non legunt utentes Theodotionis editione, et hoc cur acciderit, nescio. Sive enim quia sermo Chaldaicus est, et quibusdam proprietatibus a nostro eloquio discrepat, noluerunt Septuaginta Interpretes easdem linguae lineas in translatione servare: sive sub nomine eorum ab alio nescio quo non satis Chaldaeam linguam sciente, editus liber est: sive aliud quid causae exstiterit ignorans: hoc unum affirmare possum, quod multum a veritate discordet, et recto judicio repudiatus sit. Sciendum quippe, Danielem maxime et Ezram, Hebraicis quidem litteris; sed Chaldaico sermone conscriptos, et unam Jeremiae περικοπήν, Job quoque cum Arabica lingua habere plurimam societatem. Denique et ego adolescentulus, post Quintiliani et Tullii lectionem ac flores rhetoricos, cum me in linguae hujus pistrinum reclusissem, et multo sudore, multoque tempore vix coepissem anhelantia stridentiaque verba resonare, et quasi per cryptam ambulans, rarum desuper lumen aspicerem, impegi novissime in Daniele, et tanto taedio affectus sum, ut desperatione subita omnem veterem laborem voluerim contemnere. Verum adhortante me quodam Hebraeo, et illud mihi crebrius in sua lingua ingerente, *Labor omnia vincit improbus*, qui [*Al.* et

qui] mihi videbar sciolus inter eos, coepi rursum discipulus esse Chaldaicus. Et ut verum fatear, usque ad praesentem diem magis possum sermonem Chaldaicum legere et intelligere, quam sonare. Haec idcirco, ut difficultatem vobis Danielis ostenderem, qui apud Hebraeos nec Susannae habet historiam, nec hymnum trium puerorum, nec Belis, draconisque fabulas: quas nos, quia in toto orbe dispersae sunt, veru ÷ anteposito, easque jugulante, subjecimus: ne videremur apud imperitos magnam partem voluminis detruncasse. Audivi ego quemdam de praeceptoribus Judaeorum, cum Susannae derideret historiam, et a Graeco nescio quo diceret esse confictam, illud opponere, quod Origeni quoque Africanus opposuit, etymologias has ἀπὸ τοῦ σχίνου σχίσαι, καὶ ἀπὸ τοῦ πρίνου πρίσαι, de Graeco sermone descendere. Cujus rei nos intelligentiam nostris hanc possumus dare: Ut, verbi gratia, dicamus ab arbore ilice dixisse eum, Illico pereas: et a lentisco, In lentem te comminuat angelus, vel non lente pereas, aut lentus, id est flexibilis ducaris ad mortem: sive aliud quid ad arboris nomen conveniens. Deinde tantum fuisse otii tribus pueris cavillabatur, ut in camino aestuantis incendii metro luderent, et per ordinem ad laudem Dei omnia elementa provocarent: aut quod miraculum, divinaeque aspirationis indicium, vel draconem interfectum offa picis, vel sacerdotum Belis machinas deprehensas: quae magis prudentia solertis viri, quam prophetali essent [*Al.* esse] spiritu perpetrata? Cum vero ad Abacuc veniret, et de Judaea in Chaldaeam raptum discophorum [*Al.* discumferentem] lectitaret: quaerebat exemplum, ubi legissemus in toto veteri Testamento, quemquam sanctorum gravi volasse corpore, et in puncto horae tanta terrarum spatia transisse. Cui cum quidam e

nostris satis ad loquendum promptulus, Ezechielem adduxisset in medium, et diceret eum de Chaldaea in Judaeam fuisse translatum: derisit hominem, et ex ipso volumine demonstravit Ezechielem in spiritu se vidisse transpositum. Denique et Apostolum nostrum, videlicet ut eruditum virum, et qui legem ab Hebraeis didicisset, non fuisse ausum affirmare se raptum in corpore, sed dixisse: *Sive in corpore, sive extra corpus, nescio. Deus scit* (II Cor. XII, 2). His et talibus argumentis apocryphas in libro Ecclesiae fabulas arguebat. Super qua re lectoris arbitrio judicium derelinquens, illud admoneo, non haberi Daniele apud Hebraeos inter prophetas, sed inter eos qui Ἀγίόγραφα conscripserunt. In tres siquidem partes omnis ab eis Scriptura dividitur: in Legem, in Prophetas in Ἀγίόγραφα, id est, in quinque, et octo, et in undecim libros: de quo non est hujus temporis disserere. Quae autem ex hoc propheta, immo contra hunc librum, Porphyrius objiciat, testes sunt Methodius, Eusebius, Apollinaris: qui multis versuum millibus ejus vesaniae respondentes, nescio an curioso lectori satisfecerint. Unde obsecro vos, o Paula et Eustochium, fundatis pro me ad Dominum preces: ut quamdiu in hoc corpusculo sum, scribam aliquid gratum vobis, utile Ecclesiae, dignum posteris. Praesentium quippe judiciis non satis moveor: qui in utramque partem, aut amore labuntur, aut odio.

PRAEFATIO HIERONYMI IN LIBRUM PARALIPOMENON.

Si Septuaginta Interpretum pura, et ut ab eis in Graecum versa est, editio permaneret, superflue me, mi Chromati, episcoporum sanctissime atque doctissime, impelleres, ut Hebraea volumina Latino sermone transferrem. Quod enim semel aures hominum occupaverat, et nascentis Ecclesiae roboraverat fidem, justum erat etiam nostro silentio comprobari. Nunc vero, cum pro varietate regionum diversa ferantur exemplaria, et germana illa antiquaque translatio corrupta sit, atque violata: nostri arbitrii putas, aut e pluribus judicare quid verum sit, aut novum opus in veteri opere cudere, illudentibusque Judaeis, cornicum, ut dicitur, oculos configere. Alexandria et Aegyptus in Septuaginta suis Hesychium laudat auctorem: Constantinopolis usque Anthiochiam, Luciani [*Al.* Juliani] martyris exemplaria probat. Mediae inter has provinciae Palaestinos [*Al.* Palaestinae] codices legunt; quos ab Origene elaboratos Eusebius et Pamphilus vulgaverunt; totusque orbis hac inter se trifaria varietate compugnat. Et certe Origenes non solum exemplaria composuit quatuor editionum, e regione singula verba describens, ut unus dissentiens, statim caeteris inter se consentientibus arguatur; sed, quod majoris audaciae est, in Editione Septuaginta Theodotionis Editionem miscuit, asteriscis designans quae minus ante fuerant, et virgulis quae ex superfluo videbantur apposita. Si igitur aliis licuit non tenere quod semel susceperant, et post septuaginta cellulas, quae vulgo sine auctore jactantur, singulas cellulas aperuere, hocque in Ecclesiis legitur quod Septuaginta nescierunt, cur me non suscipiant Latini mei, qui inviolata Editione veteri ita novam condidi, ut laborem meum Hebraeis, et, quod his majus est, Apostolis auctoribus probem? Scripsi nuper librum de Optimo genere interpretandi, ostendens illa

de Evangelio, *Ex Aegypto vocavi filium meum* (**Matth. II, 15**); et *Quoniam Nazaraeus vocabitur* (**Ibid., 23**); et, *Videbunt in quem compunxerunt* (**Joan. XIX, 37**); et illud Apostoli, *Quae oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quae praeparavit Deus diligentibus se* (**I Cor. II, 9**); caeteraque his similia, in Hebraeorum libris inveniri. Certe Apostoli et Evangelistae, Septuaginta Interpretes noverant: et unde eis haec dicere quae in Septuaginta non habentur? Christus Dominus noster utriusque Testamenti conditor, in Evangelio secundum Joannem, *Qui credit, inquit, in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquae vivae* (**Joan. VII, 38**). Utique scriptum est, quod Salvator scriptum esse testatur. Ubi scriptum est? Septuaginta non habent: apocrypha nescit Ecclesia. Ad Hebraeos igitur revertendum est, unde et Dominus loquitur, et discipuli exempla praesumunt. Haec pace veterum loquor, et obtrectatoribus meis tantum respondeo, qui canino dente me rodunt, in publico detrahentes; legentes in angulis, iidem et accusatores et defensores, cum in aliis probent quod in me reprobant: quasi virtus et vitium non in rebus sit, sed cum auctore mutetur. Caeterum memini, editionem Septuaginta Translatores olim de Graeco emendatam tribuisse me nostris: nec inimicum debere aestimari eorum, quos in conventu fratrum semper edissero. Et quod nunc DABRE JAMIM (), id est, *Verba dierum*, interpretatus sum, idcirco feci, ut inextricabiles moras, et silvam nominum, quae scriptorum confusa sunt vitio, sensuumque barbariem, apertius et per versuum cola digererem: mihimetipsi et meis juxta Ismeniam canens, si aures surdae sunt caeterorum.

PRAEFATIO HIERONYMI IN EZRAM.

Utrum difficilius sit, facere quod poscitis, an negare, necdum statui. Nam neque vobis aliquid imperantibus abnuere, sententiae est: et magnitudo oneris impositi ita cervices premit, ut ante sub fasce ruendum sit, quam levandum. Accedunt ad hoc invidorum studia, qui omne quod scribimus, reprehendendum putant: et interdum contra se conscientia repugnante, publice lacerant quae occulte legunt; in tantum ut clamare compellar, et dicere: *Domine, libera animam meam a labiis iniquis et a lingua dolosa (Psal. CXIX, 2)*. Tertius annus est quod semper scribitis atque rescribitis, ut Ezrae librum vobis de Hebraeo transferam: quasi non habeatis Graeca et Latina volumina: aut quidquid illud est quod a nobis vertitur, non statim ab omnibus [*Al. hominibus*] conspuendum sit. Frustra autem, ut ait quidam, niti, neque aliud fatigando nisi odium quaerere, extremae dementiae est. Itaque obsecro vos, mi Domnion et Rogatiane charissimi, ut privata lectione contenti, librum non efferatis in publicum, nec fastidiosis ingeratis cibos, vitetisque eorum supercilium, qui judicare tantum de aliis, et ipsi facere nihil noverunt. Si qui autem fratrum sunt, quibus nostra non displicent, his tribuatis exemplar, admonentes ut Hebraea nomina, quorum grandis in hoc volumine copia est, distincte et per intervalla transcribant. Nihil enim proderit emendasse librum, nisi emendatio librariorum diligentia conservetur. Nec quemquam moveat quod unus a nobis editus liber est: nec apocryphorum tertii et quarti somniis delectetur: quia et apud Hebraeos Ezrae Neemiaeque sermones in unum volumen coarctantur: et quae non habentur apud illos, nec de viginti quatuor senibus sunt, procul abjicienda. Si quis autem Septuaginta

vobis opposuerit Interpretes, quorum exemplaria varietas ipsa, lacerata et eversa demonstrat (nec potest utique verum asseri quod diversum est), mittite eum ad Evangelia: in quibus multa ponuntur quasi de Veteri Testamento, quae apud Septuaginta Interpretes non habentur, velut illud, *Quoniam Nazaraeus vocabitur*: et, *Ex Aegypto vocavi filium meum*: et, *Videbunt in quem compunxerunt*; multaque alia, quae latiori operi reservamus: et quaerite ab eo ubi scripta sint. Cumque proferre non potuerit, vos legite de his exemplaribus quae nuper a nobis edita, maledicorum quotidie linguis confodiuntur. Sed ut ad compendium veniam, certe quod illaturus sum, aequissimum est. Edidi aliquid quod non habetur in Graeco, vel aliter habetur quam a me versum est? Quid interpretem laniant? interrogent Hebraeos: et ipsis auctoribus, translationi meae vel arrogant vel derogent fidem. Porro aliud est, si clausis, quod dicitur, oculis mihi volunt maledicere, et non imitantur Graecorum studium ac benevolentiam, qui post Septuaginta Translatores, jam Christi Evangelio coruscante, Judaeos et Ebionitas Legis veteris interpretes, Aquilam videlicet, et Symmachum, et Theodotionem, et curiose legunt, et per Origenis laborem in Ἑξαπλοῖς, Ecclesiis dedicarunt. Quanto magis Latini grati esse deberent, quod exsultantem cernerent Graeciam a se aliquid mutuari? Primum enim magnorum sumptuum est et infinitae difficultatis, exemplaria posse habere omnia: deinde etiam qui habuerint, et Hebraei sermonis ignari sunt, magis errabunt, ignorantes quis e multis verius dixerit. Quod etiam sapientissimo cuidam nuper apud Graecos accidit, ut interdum Scripturae sensum relinquens, uniuscujusque interpretis sequeretur errorem. Nos autem qui Hebraeae linguae saltem parvam habemus scientiam, et Latinus nobis

utcumque sermo non deest: et de aliis magis possumus judicare, et ea quae ipsi intelligimus, in nostra lingua promere. Itaque licet et excetra sibilet, *victorque Sinon incendia jactet* (**Aeneid. lib. II**): numquam meum, juvante Christo, silebit eloquium: etiam praecisa lingua balbutiet. Legant qui volunt: qui nolunt abjiciant. Eventilent apices, litteras calumnientur: magis vestra charitate provocabor ad studium, quam illorum detractio et odio deterrebor.

PRAEFATIO HIERONYMI IN LIBRUM ESTHER.

Librum Esther variis translatoribus constat esse vitiatum, quem ego de archivis Hebraeorum relevans, verbum e verbo pressius transtuli. Quem librum editio Vulgata laciniosis hinc inde verborum sinibus trahit: addens ea quae ex tempore dici poterant, et audiri, sicut solitum est scholaribus disciplinis sumpto themate, excogitare, quibus verbis uti potuit qui injuriam passus est, vel ille qui injuriam fecit. Vos autem, o Paula et Eustochium, quoniam et bibliothecas Heb. studuistis intrare, et interpretum certamina comprobastis, tenentes Esther Hebraicum librum, per singula verba nostram translationem aspicite, ut possitis agnoscere, me nihil etiam augmentasse addendo, sed fideli testimonio simpliciter sicut in Hebraeo habetur, historiam Hebraicam Latinae Linguae tradidisse. Nec affectamus laudes hominum, nec vituperationes expavescimus. Deo enim placere curantes, minas hominum penitus non timemus: quia Deus dissipat ossa eorum qui hominibus placere desiderant (**Psal. LII, 6**),

et secundum Apostolum, qui ejusmodi sunt, servi Christi esse non possunt (**Gal. I, 10**) .

PRAEFATIO HIERONYMI IN LIBRUM
TOBIAE. *Chromatio et Heliodoro episcopis*
Hieronymus presbyter in Domino salutem.

Mirari non desino exactionis vestrae instantiam: exigitis enim, ut librum Chaldaeo sermone conscriptum, ad Latinum stylum traham, librum utique Tobiae, quem Hebraei de catalogo divinarum Scripturarum secantes, his, quae apocrypha memorant, manciparunt. Feci satis desiderio vestro, non tamen meo studio. Arguunt enim nos Hebraeorum studia, et imputant nobis, contra suum canonem Latinis auribus ista transferre. Sed melius esse judicans pharisaeorum displicere iudicio, et episcoporum jussionibus deservire, institi ut potui. Et quia vicina est Chaldaeorum lingua sermoni Hebraico: utriusque linguae peritissimum loquacem reperiens, unius diei laborem arripui: et quidquid ille mihi Hebraicis verbis expressit, hoc ego accito notario, sermonibus Latinis exposui. Orationibus vestris mercedem hujus operis compensabo, cum gratum vobis didicero me, quod jubere estis dignati, complesse.

PRAEFATIO HIERONYMI IN
LIBRUM JUDITH.

Apud Hebraeos liber Judith inter apocrypha legitur: cujus auctoritas ad roboranda illa quae in contentionem veniunt, minus idonea judicatur. Chaldaeo tamen sermone conscriptus, inter historias computatur. Sed quia hunc librum Synodus Nicaena in numero sanctarum Scripturarum legitur computasse, acquievi postulationi vestrae, immo exactioni: et sepositis occupationibus, quibus vehementer arctabar, huic unam lucubrationem dedi, magis sensum e sensu, quam ex verbo verbum transferens. Multorum codicum varietatem vitiosissimam amputavi: sola ea, quae intelligentia integra in verbis Chaldaeis invenire potui, Latinis expressi. Accipite Judith viduam, castitatis exemplum, et triumphali laude, perpetuis eam praeconiis declarate. Hanc enim non solum feminis, sed et viris imitabilem dedit, qui castitatis ejus remunerator, virtutem ei talem tribuit, ut invictum omnibus hominibus vinceret, et insuperabilem superaret.

PRAEFATIO HIERONYMI IN LIBRUM JOB.

Si aut fiscellam junco texerem, aut palmarum folia complicarem, ut in sudore vultus mei comederem panem, et ventris opus sollicita mente tractarem: nullus morderet, nemo reprehenderet. Nunc autem quia juxta sententiam Salvatoris volo operari cibum, qui non perit, et antiquam divinorum Voluminum viam, sentibus virgultisque purgare, mihi genuinus infigitur: corrector vitiorum falsarius vocor, et errores non auferre, sed serere. Tanta est enim vetustatis

consuetudo, ut etiam confessa plerisque vitia placeant, dum magis pulchros habere malunt codices, quam emendatos. Quapropter, o Paula et Eustochium, unicum nobilitatis et humilitatis exemplar, pro flabello, calathis, sportellisque, munusculo monachorum, spiritualia haec et mansura dona suscipite: ac beatum Job qui adhuc apud Latinos jacebat in stercore, et vermibus scatebat errorum, integrum, immaculatumque gaudete. Quomodo enim probatione atque victoria dupliciter universa ei sunt reddita: ita ego in lingua nostra (audacter loquor) feci eum habere quae amiserat. Igitur et vos, et unumquemque lectorem solita Praefatione commoneo, et in principiis librorum eadem semper annectens, rogo, ut ubicumque praecedentes virgulas ÷ videritis, sciatis ea quae subjecta sunt in Hebraeis voluminibus non haberi. Porro ubi stellae imago fulserit + ex Hebraeo in nostro sermone addita. Nec non et illa quae habere videbamus, et ita corrupta erant, ut sensum legentibus tollerent, orantibus vobis, magno labore correxi; magis utile quid ex otio meo Christi Ecclesiis venturum ratus, quam ex aliorum negotio.

PRAEFATIO HIERONYMI IN LIBRUM PSALMORUM. (C)

Psalterium Romae dudum positus emendaram, et juxta Septuaginta interpretes, licet cursim, magna illud ex parte correxeram. Quod quia rursum videtis, o Paula et Eustochium, scriptorum vitio depravatum, plusque antiquum errorem, quam novam emendationem valere: cogitis, ut veluti quodam novali, scissum jam arvom exerceam, et obliquis

sulcis renascentes spinas eradicem: aequum esse, dicentes, ut quod crebro male pullulat, crebrius succidatur. Unde consueta praefatione commoneo tam vos, quibus forte labor iste desudat, quam eos qui exemplaria istiusmodi habere voluerint, ut quae diligenter emendavi, cum cura et diligentia transcribantur. Notet sibi unusquisque vel jacentem lineam, vel signa radiantia: id est, vel obelos ÷ vel asteriscos +. Et ubicumque viderit virgulam praecedentem ÷, ab ea usque ad duo puncta ** quae impressimus, sciat in Septuaginta translatoribus [*Al.* interpretibus] plus haberi. Ubi autem stellae + similitudinem perspexerit, de Hebraeis voluminibus additum noverit, aequae usque ad duo puncta, juxta Theodotionis dumtaxat editionem, qui simplicitate sermonis a Septuaginta interpretibus non discordat. Haec ergo et vobis et studioso cuique fecisse me sciens, non ambigo multos fore, qui vel invidia, vel supercilio malint contemnere videri praeclara, quam discere, et de turbulento magis rivulo [*Al.* rivo], quam de purissimo fonte potare.

PRAEFATIO HIERONYMI IN LIBRUM
PARALIPOMENON JUXTA LXX
INTERPRETES.

Eusebius Hieronymus Domnioni et Rogatiano
suis in Jesu salutem.

Quomodo Graecorum historias magis intelligunt, qui Athenas viderint, et tertium Virgilii librum, qui a Troade per Leucaten, et Acroceraunia ad Siciliam, et inde ad ostia Tiberis navigarint: ita sanctam Scripturam lucidius intuebitur, qui Judaeam oculis contemplatus est [*Al. sit*], et antiquarum urbium memorias, locorumque vel eadem vocabula, vel mutata cognoverit [*Al. cognoverunt*]. Unde et nobis curae fuit, cum eruditissimis Hebraeorum hunc laborem subire, ut circumiremus provinciam, quam universae Christi Ecclesiae sonant. Fateor enim, mi Domnion, et Rogatiane charissimi, numquam me in divinis voluminibus, propriis viribus credidisse, nec habuisse magistrum [*Al. tac. magistrum*] opinionem meam, sed ea etiam de quibus scire me arbitrabar, interrogare me solitum: quanto magis de his super quibus anceps eram? Denique cum a me nuper litteris flagitassetis, ut vobis librum Paralipomenon Latino sermone transferrem, de Tiberiade Legis quondam doctorem, qui apud Hebraeos admirationi habebatur, assumpsi: et contuli cum eo a vertice, ut aiunt, usque ad extremum unguem: et sic confirmatus, ausus sum facere quod jubebatis. Libere enim vobis loquor, ita et in Graecis et Latinis codicibus hic nominum liber vitiosus est, ut non tam Hebraea quam Barbara quaedam, et Sarmatica nomina congesta [*Al. conjecta*] arbitrandum sit. Nec hoc Septuaginta Interpretibus, qui Spiritu sancto pleni, ea quae vera fuerant, transtulerunt, sed scriptorum culpa ascribendum, dum de inemendatis [*Al. emendatis*] inemendata scriptitant: et saepe tria nomina, subtractis e medio syllabis, in unum vocabulum cogunt, vel e regione unum nomen, propter latitudinem suam, in duo, vel tria vocabula dividunt. Sed et ipsae appellationes, non homines, ut plerique aestimant [*Al. existimant*], sed urbes, et

regiones, et saltus, et provincias sonant, et oblique sub interpretatione et figura eorum, quaedam narrantur historiae: de quibus in Regnorum libro dicitur, *Nonne ecce haec scripta sunt in libro Verborum Dierum regum Juda?* Quae utique in nostris codicibus non habentur. Hoc primum sciendum, quod apud Hebraeos, Paralipomenon liber unus sit: et apud illos, vocetur [*Al. vocatus*] DABRE JAMIM, id est, *Verba Dierum*: qui propter magnitudinem, apud nos divisus est, quod nonnulli etiam in Bruto, Ciceronis dialogo, faciunt, ut eum in tres partes secent, cum unus a suo auctore sit editus. Deinde etiam illud attendendum, quod frequenter nomina, non vocabula hominum, sed rerum, ut dixi, significantias sonent [*Al. sonant*]. Ad extremum, quod omnis eruditio Scripturarum in hoc libro [*Al. tac. libro*] continetur: et historiae vel quae [*Al. quae vel*] praetermissae sunt in suis locis, vel perstrictae leviter, hic per quaedam verborum compendia explicentur. Orationum itaque vestrarum adjutus auxilio, misi librum benevolis placitum: tamen invidis displiciturum esse non ambigo. Optima enim quaeque, ut ait Plinius, malunt contemnere et invidere plerique, quam discere. Si quis in hac interpretatione voluerit aliquid reprehendere, interroget Hebraeos, suam conscientiam recolat, videat ordinem textumque sermonis, et tunc nostro labori, si potuerit, detrahat. Ubicumque ergo asteriscos, id est, stellas + radiare in hoc volumine videritis, ibi sciatis de Hebraeo additum quod in Latinis codicibus non habetur. Ubi vero obelus, transversa scilicet virga ÷, praeposita est, illic signatur quid Septuaginta Interpretes addiderint, vel ob decoris gratiam, vel ob Spiritus sancti auctoritatem, licet in Hebraeis voluminibus non legatur.

PRAEFATIO HIERONYMI IN LIBROS SALOMONIS JUXTA LXX INTERPRETES.

Tres libros Salomonis, id est, Proverbia, Ecclesiasten, Canticum Canticorum, veteri Septuaginta Interpretum auctoritati reddidi, vel antepositis lineis, ÷ superflua quaeque designans, vel stellis + titulo praenotatis, ea quae minus habebantur, interserens: quo plenius, o Paula et Eustochium, cognoscatis quid in libris nostris minus sit, quid redundet. Nec non etiam illa, quae imperiti Translatores male in linguam nostram de Graeco sermone verterant, oblitterans et antiquans, curiosissima veritate correxi. Et ubi praepostero ordine atque perverso, sententiarum fuerat lumen ereptum, suis locis restituens, feci intelligi quod latebat. Porro in eo libro, qui a plerisque Sapientia Salomonis inscribitur, et in Ecclesiastico, quem esse Jesu filii Sirach, nullus ignorat, calamo temperavi: tantummodo Canonicas Scripturas vobis emendare desiderans, et studium meum certis, magis quam dubiis commendare .

PRAEFATIO HIERONYMI IN QUATUOR EVANGELIA.

Beatissimo papae Damaso Hieronymus.

Novum opus facere me cogis ex veteri, ut post exemplaria Scripturarum toto orbe dispersa, quasi quidam arbiter sedeam: et quia inter se variant, quae sint illa quae cum Graeca consentiant veritate, decernam. Plus labor, sed periculosa praesumptio, judicare de caeteris, ipsum ab omnibus judicandum: senis mutare linguam, et canescentem jam mundum ad initia retrahere parvulorum. Quis enim doctus pariter vel indoctus, cum in manus volumen assumpserit, et a saliva, quam semel imbibit, viderit discrepare quod lectitat, non statim erumpat in vocem, me falsarium, me clamans esse sacrilegum, qui audeam aliquid in veteribus libris addere, mutare, corrigere? Adversus quam invidiam duplex causa me consolatur: quod et tu, qui summus Sacerdos es, fieri jubes: et verum non esse quod variat, etiam maledicorum testimonio comprobatur. Si enim Latinis exemplaribus fides est adhibenda, respondeant, quibus: tot enim sunt exemplaria pene quot codices. Sin autem veritas est quaerenda de pluribus: cur non ad Graecam originem revertentes, ea quae vel a vitiosis interpretibus male edita, vel a praesumptoribus imperitis emendata perversius, vel a librariis dormitantibus addita sunt, aut mutata, corrigimus? Neque vero ego de veteri disputo Testamento, quod a Septuaginta senioribus in Graecam linguam versum, tertio gradu ad nos usque pervenit. Non quaero quid Aquila, quid Symmachus sapiant, quare Theodotion inter novos et veteres medius incedat. Sit illa vera interpretatio, quam Apostoli probaverunt. De novo nunc loquor Testamento: quod Graecum esse non dubium est, excepto apostolo Matthaeo, qui primus in Judaea Evangelium Christi Hebraicis litteris edidit. Hoc certe cum in nostro sermone discordat, et diversos rivulorum tramites ducit: uno de fonte quaerendum

est. Praetermitto eos codices, quos a Luciano et Hesychio nuncupatos, paucorum hominum asserit perversa contentio: quibus utique nec in veteri Instrumento post Septuaginta Interpretes emendare quid licuit, nec in Novo profuit emendasse: cum multarum gentium linguis Scriptura ante translata, doceat falsa esse quae addita sunt. Igitur haec praesens praefatiuncula pollicetur quatuor tantum Evangelia, quorum ordo est iste, Matthaeus, Marcus, Lucas, Joannes, codicum Graecorum emendata collatione, sed Veterum. Quae ne multum a lectionis Latinae consuetudine discreparent, ita calamo temperavimus, ut his tantum quae sensum videbantur mutare, correctis, reliqua manere pateremur ut fuerant. Canones quoque, quos Eusebius Caesariensis episcopus Alexandrinum secutus Ammonium, in decem numeros ordinavit, sicut in Graeco habentur, expressimus. Quod si quis de curiosis voluerit nosse, quae in Evangeliiis, vel eadem, vel vicina, vel sola sint, eorum distinctione cognoscat. Magnus siquidem hic in nostris codicibus error inolevit, dum quod in eadem re alius Evangelista plus dixit, in alio quia minus putaverint, addiderunt. Vel dum eundem sensum alius aliter expressit, ille qui unum e quatuor primum legerat, ad ejus exemplum caeteros quoque aestimaverit emendandos. Unde accidit, ut apud nos mixta sint omnia, et in Marco plura Lucae atque Matthaei: rursum in Matthaeo plura Joannis et Marci, et in caeteris reliquorum quae aliis propria sunt, inveniantur. Cum itaque Canones legeris, qui subjecti sunt, confusionis errore sublato, et similia omnium scies, et singulis sua quaeque restitues. In Canone primo concordant quatuor, Matthaeus, Marcus, Lucas, Joannes. In secundo tres, Matthaeus, Marcus, Lucas. In tertio tres, Matthaeus, Lucas, Joannes. In quarto tres, Matthaeus, Marcus, Joannes. In quinto

duo, Matthaeus, Lucas. In sexto duo, Matthaeus, Marcus. In septimo duo, Matthaeus, Joannes. In octavo duo, Lucas, Marcus. In nono duo, Lucas, Joannes. In decimo propria unusquisque, quae non habentur in aliis, ediderunt. Singulis vero Evangeliiis, ab uno incipiens usque ad finem librorum, dispar numerus increscit [*Al. accrescit*]. Hic nigro colore praescriptus, sub se habet alium ex minio numerum discolorem, qui ad decem usque procedens, indicat prior numerus, in quo sit Canone requirendus. Cum igitur aperto codice, verbi gratia, illud sive illud capitulum scire volueris, cuius Canonis sit, statim ex subjecto numero doceberis, et recurrens ad principia, in quibus Canonum est distincta congeries, eodemque statim Canone ex titulo frontis invento, illum quem quaerebas numerum ejusdem Evangelistae, qui et ipse ex inscriptione signatur, invenies: atque e vicino caeterorum tramitibus inspectis, quos numeros e regione habeant, annotabis. Et cum scieris, recurrens ad volumina singulorum, et sine mora repertis numeris, quos ante signaveras, reperiens [*Al. reperias*] et loca, in quibus vel eadem, vel vicina dixerunt. Opto, ut in Christo valeas, et mei memineris, Papa beatissime.